

B. N. C.  
FIRENZE

1055

19

AJ

1055  
19

DE  
RVNIS  
HELSINGICIS.

AD

*VIRVM ILLVST.M*

D. ANTONIVM  
MAGLIABECHIVM,

S. M. D. HETRURIAE

BIBLIOTHECARIVM

Toto Orbe Celeberrimum,

EPISTOLA.

XXIII  
1813  
1790



ROMÆ, Typis Bernabò. )( M. DC. XXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

CELEBERRIME VIR.




VM Florentiæ non ita pridem inter varios sermones antiquæ Helsingorû literaturæ forte mentionem injicerem, gratum tibi fore significasti, si, qualis sit vetus illa, vel, si mauiis, noua & Orbi adhuc ignota literatura, simplici narratione paulo fusius tibi exponerem. Quia autem in itineris stabam prociñdu, voluntati tuæ tum quidem temporis obedire non potui; nunc autem in alma hac Orbis & Urbium matre quicquam nactus, nefas duco tam iusto tuo desiderio vterius deesse, cum sciam quantum tuo fauori, tuisque meritis, cum publico, tum meo nomine debeam. Sed gratias pro me agam aliàs, nunc de Runis Helsingicis pauca, ista accipe, & dum integrum de his tractatum publicæ luci paro, hanc narratiunculam benigna fronte, eademque vultus serenitate intuere, qua me in domo tua, illo Apollinis & Musarum palatio, toties beasti.

Helsingia, Regnum quondam, nunc amplissima Sueciæ prouincia ab austro Gestriciam habet affinem, à septentrione Angermanniam & Lappos. Hæc vt Reges olim suos & leges, ita literas quoque & rationem scribendi habuit peculiarem, & ab aliis populis prorsus diuersam. Restant adhuc characteres miri rudibus faxis insculpti, qui antiquariorum ingenia mise-

rum in modum hætenus torserunt . IOANNES BV-  
REVS , qui initio hujus seculi primus Suecorum ad il-  
lustrandas patriæ antiquitates animum adjecerat, Ru-  
nas quidem vulgares , & earum veram lecturam è sa-  
xois ligneisque monumentis feliciter admodum restau-  
rauit , Helsingicas autem se non capere ingenue est  
confessus . Post eum OLAVS VERELIVS , & alij  
plures seriò rem tractare aggressi , nihil omiserunt in-  
expertum , quod ad interpretanda antiquissima illa  
monumenta pertinere crederent ; Sed irritò conatu la-  
borarunt omnes . Ante annos xx. & quod excurrit ,  
MAGNVS CELSIVS Matheseos professor Vpsalien-  
sis , & in Regio Antiquitatis Collegio adfessor , natio-  
ne Helsingus , non alio magis officio credidit se testari  
posse , quo in patriam dulcissimam propendebat , amo-  
rem , quam si characteres illius Antiquissimos , & ve-  
tustate fereobliteratos ipsi restitueret . Itaque Helsing-  
giam petit , cippos delineat , literas colligit , & omnia  
tentat , quæ ad abditos earum sensus expiscandos face-  
re visa sunt . Abit annus vnus & alter , dum frustra la-  
borat . Erat illo tempore P. KIRCHERI maxima per  
Europam fama . Huic monumentorum , quæ V. sunt  
omnino , delineationes per amicum mitti curauit , vt  
tanti viri sententiam colligeret , qui communis Oedi-  
pus & arcanorum reuelator tum audiebat . Rescripsit  
Kircherus *falli omnes , qui literas esse putarent , cum sint  
tantum ornamenta nihil signantia , lapidibus à superstio-  
sissimis hominibus incisa , pro noxiis animalibus auerrun-  
candis .* Quod iudicium nescio an sanius sit opinione  
illius , qui dixit ab hominibus sciolis , & qui sibi tantum  
sapere voluerunt , eiusmodi literas esse effictas , & faxis  
manda-

mandatas, ne ab aliis possent intelligi . CELSIUS au-  
 tem hoc ante omnia tamquam certum sibi propone-  
 bat, fuisse olim literas quibusuis intelligibiles, cum stul-  
 tum fuisset, & rationi minimè consentaneum, inscrip-  
 tiones, quibus defunctorum memoriæ posteris erant  
 communicandæ, ignoto characterum genere mansu-  
 ræ in tot secula materiæ, id est, rudibus saxis commit-  
 tere . Post mille autem deinde facta experimenta, lite-  
 ras transponendo, inuertendo, expungendo, rescriben-  
 do, cum nihil se proficere videret, constituit rem adeo  
 inuolutam aliis relinquere extricandam, suæque Ma-  
 thesi & Botanicæ, quibus vnice delectabatur, in poste-  
 rum vacare. Et iam omiserat, cum animum ejus subiit  
 gentes affines, vt mores & habitum, ita quoque literas  
 vt plurimum habere vel easdè, vel saltè nõ toto genere  
 discrepantes . Resumfit igitur lapides suos ab aliquo  
 tempore intermissos, cæpitque Runas vulgares cum  
 Helsingicis attentius conferre, & repperit facillimo ne-  
 gotio esse easdem, nisi quod vulgares ductum haberent  
 perpendicularen, qui in Helsingicis, vtpote antiquio-  
 ribus & ideo simplicioribus non conspiciebatur, vt  
 patet ex alfabeto,       ' hic appono .

*Runa Helsingica .*




*Runa Vulgares .*



Sunt quidem literæ Helsingicæ XV. Sed reliquæ V.  
 ejus sunt figuræ, vt ductus perpendicularis illis com-  
 mode addi non possit, ideoque Runarum vetustiorum,  
 siue

siue Helsingicarum reformatores, quicumque demum fuerint, pro illis vel peregrinas literas assumerunt, vel novas excogitarunt, vt ex sequentibus literis est manifestum: *Ʒ Ʒ Ʒ Ʒ*. Sed & Runam tandem in Latinum *A* immutarunt, adeo vt huiusmodi hodie occurrat Alfabctum Runicum vulgare in saxis, quæ per Sueciam pæne immenso numero conspiciuntur; item in baculis Runicis, quibus Calendarium perpetuum, inciderant superioribus seculis Sueci.

*Alfabctum Runicum vulgare.*



Alfabctum vulgare, quod scriptis suis inferuerunt IOHANNES & OLAVS Gothi, falsum est, nec eo modo inuenitur in saxis nostris. Neque magis accuratum, quod in eximio Opere de Re Diplomatica affert Cel. MABILLONIVS Gallus. Monumenta Suecana, siue Inscriptiones Runicæ, maximam partem jam sunt delineatæ, & prodibunt breui in lucem cum explicatione luculenta Collegij Antiquitatis Regij. Sequetur fortassis olim tractatus MAGNI CELSII de RVNIS HELSINGICIS, quem imperator noster in Autor decedens reliquit absolendum

Tui Cel.<sup>mi</sup> Nominis

Romæ V. Kal. Maij  
A. M. DC. XCVIII.

Cultori perpetuo  
**OLAO CELSIO,**  
Vps. Sueco.

